

tum pœna-
rum, cujus

LII. *Premiis succedunt pœnæ; quòd æquè ac illa in Re-
publica necessario requiruntur: quòd verba quidem & præ-
cepta liberalia ingenia cohortari & excitare possunt, at reli-
quos, qui sunt multò plurimi, non possunt ad virtutem impel-
lere.*

tres gradus,

LIII. *Pœnarum tres constituuntur gradus: Unus cum
pœna adhibetur emendandi gratiâ usi quippiam ex culpa
commissum, vel delictum non omninò capitale, id corrigatur
& emendetur: alter cum dignitas ejus, in quem peccatum,
tuenda est; unde crimini læsæ majestatis tam graves præstitu-
ta sunt pœnæ: Tertius, cum punitio propter exemplum necessa-
ria est, ut alij metu pœnæ à similibus peccatis absterreantur,
ubi pœnæ inclementia ad unum aliquem, fructus ad omnes
pertinet.*

norma

LIV. *Locum hic habet Arithmetica proportio. Nec
obstat, nobiles ac in dignitate constitutos mitius, quàm ple-
beios puniri: cum nobiles dignitatis jacturam vitæ discrimi-
ni equiparare soleant: cum si idem à nobili & plebeio facinus
committitur, plebeio nil aliud (puta si delictum vitæ amissio-
nem postulet) quàm vitæ aufferri potest: Nobilis verò, si vitæ
amissio eidem pertimescenda, dignitatis insuper faceret jacturam.*

leges, qua-
rum tum

LV. *Ultimò inter bona publica referuntur leges, quæ uti
privatis, sic publicis quoq; rebus certam præscribunt normam.*

LVI. *Referuntur hinc leges inter bona publica, quòd non
in privati alicujus sunt arbitrio: Eædem tamen mediorem
subeunt locum, quatenus præcepta, quibus tum publica, tum
privata felicitas acquiritur, iisdem continentur.*

descriptio,

LVII. *Estq; lex nihil aliud, quàm declaratio voluntatis
imperantis, ut subditi certam habeant regulam, secundum
quam vivant.*